

diabolo tradidisset, etc. cum mœnia civitatis ad excubias ascenderet, subito adest ei dæmon in gryphonis effigie atque terribili insultu arripiens ejus scapulam, eam crudelibus unguibus transfecit, etc. » qui tamen Dei misericordiam implorans dimissus, abiit ad sacerdotem, (qui hæc S. Bernardino narravit,) eique vulneratam scapulam ac terribiliter foetentem ostendit, et facta peccatorum confessione post biduum e vita excessit.

III. Seminantur, et cadunt inter spinas, quia communiter dum fortuna illis adversatur, incidunt. Primo, in iram et insaniam, adeo ut chartas dentibus lacerent, et quasi canes in lapides morsum infigant. Perdere enim amarum est. Unde in perpetuis spinis sedent, dum ludunt, metuentes rerum suarum jacturam, adeoque plane stulti sunt, dum anxiam vitam eligunt, cum possint habere quietam.

Secundo, incidunt in rixas et contentiones, levi verbo provocati, dum in fervore sunt, et maxime cum sinistro eventu ludunt. Exempla sunt tam frequentia, ut non opus sit adducere. Anno 1609. in Anglia filius baronis Warthonis Joannem Stuardum Angliæ regis cognatum in lusu mendacii arguit, ideoque a Stuardo colaphum accepit. Tum prope Londinum ad duellum se provocarunt, in quo ambo mutuis vulneribus confecti, et post in eodem sepulcro conditi sunt jussu regis. Hic exitus tam nobilium juvenum, Eman. de Metern. l. XXIX. hist. Belg.

Tertio, incidunt ad extremum non raro in blasphemias, et consequentem Dei correptionem. Notum puto illud, quod M. Fritschius, in meteoris scribi, de duobus aleatoribus, qui Budæ Pannoniæ urbe convenerant, ut alter in Dei, alter

in diaboli nomine luderet. Qui in Dei nomine lusit, pecuniam omnem unam cum vestibus amisit. Nocte igitur domum rediens per cœmeterium, saxum arreptum in imaginem crucifixi coniecit, et in frontem allisit, unde et sanguis mox profluxit. Eo facto vicinus quidam lanio podagricus monitus ter in somno, ut surgeret, et obviam proximum confoderet. Paruit tamen et surgens sanatum se deprehendit, cultro igitur lanario armatus foras prodit, et aleatorem sibi obviam factum cultro confixit. Mox rem magistratui indicat, quo adveniente dæmones cadaver aleatoris in præsentia adstantium cum ululatu in sublime raptum abstulerunt. Quæ res propter vulnus crucifixo inflicto lanionem a periculo liberavit. Videtis qualem tandem ludum ludat cum lusoribus suis dæmon? Ad tartarum eos evehit, et ibi quomodo cum eis ludet?

Quid igitur, si tam periculosus est hic ludus, quid agendum? Seminandum in terram bonam, pecunia in pauperes potius, quam in aleas spargenda est, ubi fructum faciet trigesimum, sexagesimum, centesimum. *Qui enim seminat in benedictionibus, (i. e. largiter) de benedictionibus et metet, ait apostolus. Qui dant malis, triginta; qui bonis, sexaginta; qui optimis, religiosis scilicet pauperibus, centesimum metent.* Quod si tamen omnino seminare etiam in ludos volunt, ea ratione possunt si luerum omne non in suum marsupium recondant, sed pauperibus deputent ac distribuunt; quo pacto non difficile permitterent eis lusum qualemcumque tandem. Hoc enim ludo, nisi aliunde vetitus esset, sperarem eos lucraturos regnum cœlorum, quod et ipsis et vobis omnibus opto.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

EVANGELIUM. LUC, XVIII.

In illo tempore, assumpsit Jesus duodecim discipulos suos et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: et postquam flagellaverint, occident eum: et tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum illud absconditum ab eis: et non intelligebant. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit dicens: Jesu, Fili David, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se, et cum appropinquasset, interrogavit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et Jesus dixit ei: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum, magnificans Deum: et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

CONCIONES.

- I. Qua ratione peccatores hoc tempore Christo passionem suam renovent.
- II. Stultitia et cæcitas ebriorum, saltatorum, aleatorum.
- III. Causæ cæcitatæ spiritualis, quæ est inconsideratio novissimorum.
- IV. Bacchanalia exterminanda.
- V. Concione funebri sepelitur Bacchus cum bacchanalibus.
- VI. Stulti vituperandi.
- VII. Stulti laude digni.

- VIII. Documenta.
- IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTARIL.

- I. Inane studium eorum, qui hoc tempore sectantur mundi gaudium.
- II. Mundus per hos dies pietatis obstrepens non audiendus.
- III. Cæcitas mundi per hos dies.
- IV. Convivium Christi et diaboli.
- V. Reprobi a semita virtutis declinantes, variis ex causis miseri et cæci.

CONCIO I.

QUA RATIONE PECCATORES HOC TEMPORE CHRISTO PASSIONEM SUAM RENOVENT.

- I. Qui Christum tradant, seu vendant. — II. Qui illudant. — III. Qui conspuant. — IV. Qui flagellent. — V. Qui crucifigant. — VI. Qui tradant cum gentibus illudendum.

THEMA.

Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur gentibus, et illudetur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum. Luc. XVIII.

Nescio sane quonam modo aptius hunc inci-

piam sermonem, præterquam illis ipsis Domini verbis: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur, etc.* Ecce inquam, ascendimus ad templum quadragesimæ, et memoriam passionis Domini, siquidem Ecclesia jam a dominica septuagesimæ omisit cantica lætitiæ, et assumpsit vestes lugubres, præparata, se ad funus sponsi, deplorat lapsum primi parentis, peccata et exilium nostrum. Et interim tamen ecce hoc tempore Christus traditur, illuditur, conspuitur, flagellatur et occiditur denuo, quodque plus est, a Christianis, et ante passionis suæ memoriam, dum gravibus eorum sceleribus offenditur, plusquam toto anno. Vidisti nimirum, Domine, te

a Christianis ante passionis tuæ tempus denuo tradendum, flagellandum, etc. ideoque præ sagis tuam passionem, qui es agnus occisus ab origine mundi. Quare, auditores, si quis est vestrum, qui Domini velit passionem memorari eique compati, faciat id hoc tempore : hoc enim alterum est passionis ejus triduum. Sed video de multis idem dici posse, quod hodie de Domini discipulis dictum : *Ipsi nihil horum intellexerunt*. Nemo vult intelligere, nec credere se Christum denuo tradere, illudere, conspuere, flagellare, crucifigere. Quid? inquit : Hæccine nos facimus? Quid enim cum peccamus, contra Christum molimur? Sed ostendam hæc omnia a vobis fieri, o bacchantes, audite.

I. Tradunt aliqui hoc tempore, et vendunt Christum : et quidem pro modico pretio; quod testatur Origenes cum ait : *Omnes, qui pro temporalibus rebus justitiam deserunt, Deum, qui est justitia, vendunt*. Et quoties hoc contingit his diebus? Habet enim hoc triduo nundinas suas diabolus, qui omnis generis merces vanales proponit, traditque omnibus Christum tradentibus. Et pro tanto pretio totius mundi maximo quid emitur? Larvæ, nolæ, puppæ, crepundia, vanissimæ inquam voluptates et vilissimæ. Sane Christus datus et natus est nobis, estque tota Christianorum et unica hæreditas, cujus pignus est gratia. Perdatur hæc per peccatum, ac consequenter etiam Christus. Nam si tibi offerretur malum punicum, non aliter tamen nisi pro chirographo hæreditatis tuæ; nonne si tu pomum arripas et comedas, censeris emisse et teneris solvere? Sic dæmon decepit protoplastas et decipit nunc mundum. Chirographum tuum sunt merita et gratia Christi, hæreditas tua Christus, a quo chirographum accepisti. Quanta fuit stultitia illius Esau vendentis primogenituram suam pro vili lentis edulio? At major longe est stultitia peccatoris. *Transite ad insulas Cethim* (ait per Jeremiam, cap. II. Deus populo suo) *et videte, et in Cedar mittite, et considerate vehementer et videte, si factum est hujusmodi : si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii! Populus vero meus mutavit gloriam suam* (id est, Deum) *in idolum*. Dicunt ergo reprobi cum Juda : *Quid vultis mihi dare et ego eum tradam?* Quia pro qualibet re vilissima et turpi voluptate parati sunt Deum offendere, et perdere, verbi gratia, pro una fornicatione, adulterio, injusto lucro, blasphemia, ebrietate voluntaria, necnon omnem movent lapidem, ut occasionem inveniant ejusmodi peccata patrandi. Triginta illi argentei erant alicujus pretii, et emptus est ex iis ager in sepulturam peregrinorum. Ea vero, quæ peccator emit, ipsi nihil pro-

sunt, imo obsunt, et sæpe etiam fortunæ et corporis extrema discrimina adducunt. Demosthenes postulatus ingens pretium a scorto, respondit : *Non emo tanti pantere*. Quid respondeat Christianus in hac vel simili tentatione?

II. Illudunt alii Christum : et primo, qui aleis ludunt. Ut enim illudere derivatur a ludere, ita illusio a lusu nascitur. Scimus lictores pro Domini veste aleam jecisse et quidem in contumeliam illius; non caret ergo contumelia Christi ludus alearum. Hac enim de causa christiani imperatores et magistratus sustulerunt supplicia, veteribus usurpata, quæ Christo irrogata fuere, ut crucifixionis et flagellationis. Deceret ergo et aleas exulare a Christianis et haberi ab ipsis pro anathemate. Si enim filii Israel non comdebant in posterum amplius nervum, eo quod Jacob pater eorum in nervo tactus et vulneratus esset in lucta, Genesis, cap. XXXII. pari modo congrueret nos ludum alearum intermittere deinceps, quia is in contumeliam et direptionem vestium Christi nostri usurpatus fuit. Carnifices luserunt pro veste Christi inconsultili (quæ unionem Ecclesiæ significat) ne scindi deberet : nunc autem per lulum alearum scinditur vestis Christi, unio scilicet et concordia Christianorum. Ut enim duo canes in eodem osse non diu concordant, ita nec aleatores in ossiculis alearum.

Deinde etiam illi Christum in seipsis illudunt, qui ebrietati student. Quemadmodum enim Judæi Christo illudentes, faciem ejus velabant, et fide eum adorabant salutabantque : sic ebrii Dei imaginem, ad quam formati sunt, mentem scilicet et rationem per ebrietatem obnubunt et exterminant, ut jam non homines sed bestię appareant. Nota sunt poetis Circes veneficia, quæ socios Ulyssis carminibus suis non solum dementasse, sed et in porcos transformasse dicitur aut fingitur potius; at de ebrietate id verissime dicitur. Videre est enim his diebus hujusmodi porcorum et bestiarum fere greges. Alii enim reperiuntur in tabernis consopiti super scamnis et mensis; alii domum deportantur, succollantur, trahuntur; alii velut ætuli ligati in curribus evehuntur; vacillant alii in equis, anserum instar, velut omni momento in terram ruituri; alii in plateis suo in vomitu jacent porcis fœdiores. Hæccine non est illudere Christo, qui est imago Patris, ad cujus similitudinem nos quoque formati sumus?

Rursum illudunt Christo et faciem ejus obligant, qui nunc adeo libere peccant, ac si Christus hominum judex cæcus esset, ipsosque non videret. Hanc enim ob causam milites velarunt Christi faciem, ut omnem petulantiam in eum

velut cæcum liberius exerceant; unde nesciri se ab illo existimantes dicebant : *Prophetiza, quis te percussit?* Idem vero, si non verbo, saltem facto dicunt nunc quam plurimi, qui dum advertunt a magistratu non inhiberi illorum insaniam, jam se coram Deo quoque impune insanire posse existimant, vel quia Deum non vident, neque se ab ipso videri credunt, adeoque cum improbis illis dicunt : *Jam non est propheta et nos non cognoscet amplius*, Psal. LXXIII.

Quinetiam larvati omnes videntur illudere Christo, dum imaginem Dei, quam etiam suo modo in facie et corpore gerunt, in seipsis obvelant et extirpant, quasi opus Dei corrigere vel prorsus delere velint : præsertim cum contra Dei legem viri muliebres et mulieres induunt viriles vestes : quæ non exigua levitas est et gentium idololatram sapit, qua (ut scribit card. Cusanus, exercitationum lib. II. in serm. Ibant magi) *mulieres vestes viriles et arma in honorem Martis indubant : et viri muliebres in honorem Veneris*.

III. Alii conspuunt modo Christum contumeliis et blasphemis. Quid enim aliud sunt blasphemis, quam sputa fœtidissima in faciem Christi ejecta? Unde Nicetas, in oratione III. de Christi nativitate ait : *Sputa et alapæ, contumeliæ illæ dici possunt, quæ palam et velut in faciem instiguntur*. Ex fœtido enim pectore extrahuntur ejusmodi blasphemis, et Deo in faciem dicuntur, sputo longe fœtidiores et horribiliores. Alia peccata indirecte tangunt Christum, et quodammodo præter intentionem, quia peccator nollet eum offendere : blasphemis autem directe in eum collimant. Sane, qui vult expuere, convertit se in sordidissimum quemque angulum. Quid ergo aliud agit blasphemus, quam quod Christi faciem sordidissimam æstimet, dum in eam expuit, tam fœde blasphemando. Si casu forte sputo commacules alterius vestem, statim petis veniam et abstergis illud industrie : in Deum sputa ultro conjicis, nec times, nec veniam petis. Hoc est quod per Job, cap. XXX. queritur Dominus dicens : *Faciem meam conspuere non verentur*. Quis hominum ita est temerarius et audax, qui principi in faciem spuere audeat? Et audebit aliquis hoc regnum Regni Dei facere.

Secundo, uti sputum cum vehementia et impetu ex ore ejicitur, ita et blasphemis. Cætera enim peccata committuntur ex aliqua imbecillitate et illecebra voluptatis; blasphemis vero cum furia et indignatione. Unde IV. Regum XIX. dicitur blasphemanti Sennacherib : *Insanisti in me; et Isai. XXXVII. Cum fureres adversum me*. Furia hæc est et insania, quia nihil prorsus præterendi potest in Deo, qui summa bonitas est, quod hominem ad blasphemiam stimulet.

Tertio, uti nihil homini frequentius quam spuere, ita multis solemne est tertio quoque verbo blasphemare quod queritur Isaie LII. Dominus : *Jugiter tota die nomen meum blasphematur*. Certe blasphemis, et execrationes apud multos condimenta sermonis sunt, eaque tam usitata, ut sine iis loqui nesciant; et si aliqui toties quoties blasphemant, tantum nummum dare cogentur, credo quod multi brevi ad pauperiem redigentur.

IV. Flagellant alii Christum. Quinam vero isti? Primo, secundum Augustinum, iidem blasphemis. Ait enim is tract. X. in Joan. *Flagellatus est Dominus flagellis Judæorum, flagellatur blasphemis feneratorum Christianorum*. Sed hæc de re jam diximus. Secundo, ergo flagellant Christum, qui non satis habent, si delinquant soli, sed præterea socios sibi scelerum, levitatum et petulantiarum adjungunt. Hoc enim dum faciunt plures quodammodo funiculos connectunt, et ex iis quasi flagellum faciunt, ut pluribus simul flagris Christum verberent. Sic enim loquuntur Proverb. I. *Veni nobiscum, insidietur sanguini, etc.* et mox : *Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum*. Unde de his verissime conqueritur per Davidem, Psal. XXXIV. in oratione sua ad Patrem, cum ait : *Adversum me lætati sunt et convenerunt : congregata sunt super me flagella*, Hebr. habetur : *Congregati sunt super me flagellantes*. Tales ergo sunt perversi socii, qui hoc tempore junctis viribus simul inebriantur, scortantur, ludunt et ludendo decipiunt, impudice saltant, lasciviunt, superbiunt, insanunt; et ita facto e multis flagris uno integro flagello, Christo plurima simul verbera, quantum in ipsis est, infligunt. De eodem aliis verbis queritur per eundem Davidem, Psal. CXXVIII. dicens : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*. Quemadmodum enim faber ferrum super incudem tenens dum primus percutit, socios quoque fabros ad feriendum provocat, ut omnes simul certatim feriant : ita perversi socii, sæpe ab uno ad peccandum provocati, dum in idem crimen conspirant, multiplicatis ictibus dorsum Christi, quasi incudem feriunt, non quibuscumque flagellis, sed ferreis et tam gravibus, quæ malleis fabrorum comparari queant : ita ut Christi merita in seipsis annihilent adeoque ei refricent omnia accepta vulnera; quodque pessimum est, solent plerumque de hoc exultare, lætari et gloriari. Id quod magis declarat alia illius Scripturæ versio, quæ est S. Hieronymi, et sic legit : *Supra dorsum meum araverunt arantes, prolongaverunt sulcum suum*. Quemadmodum enim aratores terram vomere aperiunt et sulcant, ita peccatores refricant et renovant Christo vulnera sua; unde novus dolor

Christo irrogatur, ita ut dicere deberet: Pœnitent me pro homine tanta passum esse, quia frustra expendi tantum pretium. Deinde, sicut agricolæ dum arant interim cantare solent, et rusticum quid accinere, ut laborem fallant: ita improbi socii his præsertim diebus cum quid turpe egerunt, cum aliis imposuerunt, cum insanierunt, jubillant, gloriantur, juxta id Prover. II. *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*; ac denique quo quis stultior et impudentior est, eo sibi pulchrior videtur. Verum sciant isti terram, quam sic arant, sterilem sibi futuram et incedis instar, ictibus suis magis indurandam. *Dorsum et non faciem*, inquit Dominus per Jerem. cap. XVIII. *ostendam eis in die perditionis eorum*. Faciet etiam Dominus suo tempore flagellum et ejiciet eos a facie sua: denique jubebit alligari in fasciculos ad comburendum.

V. Occidunt alii et crucifigunt Christum, quod testatur apostolus ad Hebr. VI. dicens de relapsis: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui* (hoc est, ludibrio et derisui) *habentes*. Tales ergo sunt primo, qui peccata peccatis addunt, eademque dimissa olim, sæpius repetunt. Hi enim quot peccatis, tot quasi clavis affigunt rursum, et quantum est in ipsis (dum novam patiendi causam Christo dant; siquidem id rursum faciunt, propter quod Christus crucifixus est) crucifigunt Christum et quidem sibimetipsis, ait apostolus; hoc est, in suam ipsorum perniciem, dum affigunt ei manus a quibus ipsi sanari, gratiam accipere et in cœlum tolli debent; quod aliud non est, quam sibimet fontem obstruere, unde bibendum: sibi segetem exurere, unde comedendum est. Affigunt autem, quia tot peccatis suis indignos sese reddunt ejus misericordia; unde apostolus loco citato dicere non dubitavit, impossibile esse ut tales renoven- tur ad penitentiam, hoc est difficillimum et rarissimum. Rogo enim te: Qua ratione detrahes pileum de pariete, quem tot clavis affigis? Et si rursum clavis clavos adigas et his alios superadigas, quomodo recipies pileum? Nonne magis et magis priores clavos intrudis et difficiliore ereptu facis? Tribus clavis Christum cruci affixum credimus: unus affixus pedes, alter brachium sinistrum, tertius brachium dextrum (tres hi peccatorum gradus seu gradationes sunt). Jam si tu affigas Christo pedes, non poterit is ad te accedere; tu ad ipsum venire debebis: poterit tamen te venientem ad se amplecti. Si deinde affigas ei etiam brachium sinistrum, non poterit te amplecti, etiam ad se venientem, poterit tamen dexteram tibi adhuc porrigere. At si ad extremum affigas ei et hanc: dic obsecro quomodo

te jam in gratiam recipiet, nisi forsitan orantur pro te: *Pater ignosce illi*? Vides igitur hoc typum remissionem peccatorum eo difficiliorem semper fieri, quo magis ea tu continuas, et accumulatas. Primus clavus est peccati audacia, qua Christo pedes quasi affigis, et si gratiam ejus recuperare velis, ad ipsum accedere per penitentiam, veniamque rogare debes. Alter est peccati consuetudo, quæ cum te foetentem et sordidum reddat, affigit Christo manum et prohibet ab amplexu tuo. Tertius est peccati obstinatio, quæ prorsus affigit Christum, ut ne manum tibi porrigat, quia tu tuam retrahis et liberari renuis.

Secundo, hujus farinae sunt, qui ex præsumptione divinæ misericordiæ peccant, qui scilicet in proxima quadragesima omnia sua scelera una confessione abstergere, et uno flagello vel jejuni- o compensare possint. Hi enim ligant Christo manus, quominus eos in gratiam recipere queat; siquidem in ipsum remissionis principium, Dei scilicet misericordiam, peccant, dum eam Deo quodammodo eripiunt et sibi subjectam volunt. Atque ita Deum ostentui etiam habent et derisui, dum ejus bonitate abutuntur ad suam nequitiam; veluti si qui dicerent: *Volvemus nos in sordibus et undique conspurcabitur; habemus enim domi famulos, qui mox iterum nos purgare debent. Deus ergo talium servus esse debet, de quo queritur Isaia, cap. XLIII. dicens: Servire me fecisti in peccatis tuis, q. d. vos mea bonitate adeoque meipso abusi estis velut mancipio ad vestra flagitia; sed num hoc patietur Deus? Nequaquam; sic enim bacchanalisticis illis, vituli adoratoribus respondit Exodi XXXIII. Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit*, hoc est (ut exponit S. Chrysostom. Theoph. et Œcumen. in c. IX. ad Rom.) Ego vituli adoratores, quos volo, per levitas vel meipsum mactabo: aliis vero quibus volo condonare, miserebor et parcam. Itaque, *nolite errare: Deus non irridetur*; nec se patietur denuo crucifigi, et ostentui haberi. Sit ergo finis bacchanalium, sit finis irrisio- nis Dominicæ passionis, sit finis abusionis divinæ misericordiæ, ne in nobis verificetur, quod dixit Jeremias, cap. XVIII. *In tempore furoris tui abutere eis*.

VI. Et ultimo, traditur Christus gentibus a Christianis ad illudendum, ut habetur Matthæi XX. siquidem hac bacchanaliorum insania Christum et christianam religionem labe quadam aspergunt infamiae, dum has insanias faciendo et permittendo, occasionem præbent gentibus, Judæis et hæreticis religionem christianam traducendi. Hinc enim Mahometanis et Agarenis ludibrio esse cœpimus, ita ut multi illorum per-

suasum sibi habeant, quasi omnes Christiani semel in anno insaniant. Ecce, inquiunt Turcæ: *Qualis est ratio Christianorum! Hodie sese ingurgitant ad fauces usque, eras jejuni- o se conficiunt; hodie choreis, lusibus, libidini, symposiis ad insaniam usque indulgent, eras vero toti alii, ad aras procumbent, cinere caput aspergunt et quasi jamjam morituri, mortem præ oculis habebunt. Qualis est eorum legislator, qui hæc vel docuit vel permittit? Ecce non tantum christiana religio, sed et Christus ipse incredulis illudendus traditur a larvatis Christianis. Qua in re Christus merito conqueri de nobis potest et dicere, quod Jacob dixit filiis suis Simeon et Levi vasis iniquitatis bellantibus, ob cædem Sichimorum, Gen. XXXIV. *Turbastis me et odiosum fecistis me Chananæis et Pherezæis*. Deinde, redundat hoc opprobrium in Ecclesiam. Sola enim nostra catholica religio ea est, de qua Cant. IV. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*, quia nimirum sola puram habet per omnia doctrinam, bonis moribus et rationi congruam. Sed si Christianorum insaniam hoc tempore considero, annon hæc insania religioni nostræ labem puritatis aspergat. Famam certe quin minuat nullus dubito. Multo verius nos pastores et prædicatores plebi Christianorum dicere possumus, quam plebs Hebræorum dixerit Moysi et Aaroni, Exod. V. *Videat Dominus et judicet, quoniam feceris odorem nostrum coram Pharaoni et servis ejus* (id est invisos et abominabiles nos fecistis Pharaoni) *et præbuitis ei gladium ut occideret nos*. De Christianorum prima natione non dubitavit apostolus scribere, II. Cor. III. *Christi bonus odor sumus*; quia nimirum bonam Christi et Christianismi famam spargebant ut gentes bene de Christo et Christianis sentirent ac loquerentur. Sed non video quomodo de nobis hoc tempore dici possit: siquidem ut dixi Christiani foetere nunc faciunt odorem nostrum, ita ut gentes occludant nares. Neque hoc tantum, sed et gladium illis præbent ut ipsi in nos sæviant, insaniant et debacchentur. Quemadmodum enim Judæi non impune tradiderunt Christum gentibus; sed post annos triginta octo traditi et ipsi gentibus sunt a Christo, occidendi, crucifigendi, illudendi, vendendi: ita et nobis timendum. Quid? Annon vidimus elapso sæculo multas catholicorum civitates, oppida, monasteria, pagos ab hæreticis et Turcis occupatos, expilatos, exustos, deletos? Annon vidimus nuper virgam illam Dei, cometam, plurimam jam patriæ nostræ stragem attulisse. Annon audiuntur undique arma, clades, bella? Quid sibi volunt ista? Cla-*

mant nimirum ad nos Dei voce: Sit finis flagitiorum, sit finis ebrietatum, sit finis libidinum, sit finis insaniae, sit finis bacchanaliorum. Alio- qui tradam et ego vos gentibus et hæreticis. Mavult enim Deus hæreticos regnare, qui in fide errant, et gentes, qui eam nesciunt; quam malos Christianos, qui sciunt et non faciunt, quod ipsis faciendum.

CONCIO II.

SLULTITIA ET CÆCITAS EBRIORUM, SALTATORUM, ALEATORUM.

I. Ebriosi. — II. Saltatores. — III. Aleatores.

THEMA.

Domine ut videam. Luc. XVIII.

Refert Aristoteles in physic. capite I. et post eum Gregorius Nazianzenus, oratione IV. pulchram quamdam puellam fistulæ cantu delectari solitam, cum calamos inflans in fontem forte prospiceret, et vultus deformitatem a fistulæ inflatione provenientem intueretur, calamos confestim fregisse, et fistulæ usum perpetuo detestatam esse. Ecce ego fabula hac concionem meam ordior? Quia nimirum existimo hanc ad nos pertinere. Quisquis humana præditus est natura, pulcherrima hæc puella est ad imaginem Dei condita, et ad sectanda bona solida, gravia, æterna: dum vero his diebus videre est innumeros, qui calamos vanitatis inflando fiducias et tibicines, ebrietatem, choreas, ludos sectando stultescunt, bacchantur, insaniant: quis dubitat etiam istos formam et pulchritudinem suam maximopere conspurcare? Unde nihil magis optem, quam ut hi similiter seipsos conspiciant, nihil dubitans fore ut calamos stultitiæ suæ frangant et detestentur in perpetuum. Quia vero mundus cæcitate percussus, hoc videre nequit, ideo ad Christum clamare debet: *Domine ut videam*. Quod ut facilius fiat, adducendos eos duximus ad fontem partim verbi divini, partim rationis, ut in eo turpitudinem suam videant. Spectabimus ergo nunc trium stultorum schemata, ebriorum, saltatorum, aleatorum.

I. Cæci et stulti sunt ebriosi, maxime qui volentes et ex proposito se inebriant. Nam Seneca in primis ebrietatem dixit esse insaniam voluntariam, epist. LXXXIV. Excæcat enim sensus et bestiam ex homine facit, ut merito de iis dici queat id Psalmi: *Oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt, pedes habent et non ambulat, etc.* Ita enim S. Basilius, hom. in ebrieta-